




*F. q. 258, 1.*









Disputationes Theologicae.  
De Ecclesia.  
De Concilio  
De Divinitate Christi.  
De Angelis.  
De poenitentia & absolutione sacerdotali  
De praedestinatione.  
De Sacramento Baptismi  
De gratuita justificatione hominis coram Deo.  
De Supremo iudicio & aeterna beatitudine.  
De quaestione illa an homo nondum renatus in  
actionibus mere spiritualibus polleat libero arbitrio.  
De Sacra Canonica Scriptura.



5  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

ANGELIS

QUAM

AVSPICE DEO OPTIMO  
MAXIMO

SUB PRÆSIDIO

GERHARDI TITII SS. THEOL.  
DOCT. ET PROFESS. ORDINARII

*Die XV. Julii*

*In Illustris Julia Fuleo Majori*

*Publicæ Disquisitioni*

*subjiciet*

CONRADUS KOKE HILDESIENSIS

A. & R.



HELMSTADII,  
TYPIS JACOBI MULLERI,

---

A. O. R. CIO IOC LXV.



PHILOSOPHICA

ANNALES

AVRIL 1800

M. A. S. S.

LIBRARIUS

GERHARDT III SS. THEOL.

DOCT. ET PROF. ORDINARI

1800

1800

CONFERENTIA

1800

1800







Σύν τῷ Θεῷ

## DE ANGELIS THESIS I.



**C**um DEVS Optim. Max. hanc pulcherrimam mundi machinam, & quicquid in ea continetur, conderet, non tantum corporeas & sub sensum cadentes creaturas, verum etiam incorporeas atque invisibiles creavit, ut & suam bonitatem infinitam communicaret, & summam suam potentiam atque sapientiam patefaceret.

II. Hac vice animus mihi est agendi de posterioris generis creaturis sive Angelis; atque adeo duo cum primis hic erunt consideranda, videlicet an sint ejusmodi creaturae? quid sint? & quae alia circa illas notatu digna occurrent.

III. Esse vero Angelos, non potest esse dubium iis, *Dantur*  
qui sacrum codicem recipiunt, utpote in quo non tan- *Angeli.*  
tum diserta de eorum existentia loca extant, sed etiam crebrae apparitiones eorum memorantur. An vero ex naturae lumine idem certo atque irrefragabiliter demonstrari queat, id sic satis magnam habet difficultatem, ut proinde in diversas partes abeant Theologi. Qui pro parte affirmante militant, haec in medium afferunt argumenta. (1) Quod homines furiosi, antehac profus





indocti, auditi sint aliquando peregrinis linguis blasphemias loqui. Eam locutionem non putant ab ipsorum anima proficisci, cum ponatur homines illos antehac fuisse indoctos. Sed nec potuisse à Deo proficisci, cum iterum ponatur blasphemè loqui eos esse auditos; Ergò oportere locutionem illam à tertii quaedam generis natura intelligente, inter homines DEUMque mediâ, à malis scilicet geniis esse profectam. (ii) Quod inter Ethnicos è cava arbore aut aliqua statua oracula sæpè sint exaudita, eaque fallacia & mendacia, eventu sic docente. Hanc locutionem autem rursus, nec ab homine aliquo, nec à DEO potuisse proficisci, ut facile pateat. (iii) Spectra in hunc usque diem videri subinde & loquentia audiri, quæ utique nec homines sint, nec DEUS ipse. (iv) Exempla in historiis memorari, quod prælia in aliquo loco gesta eopse à huc die alibi, ultra tot miliaria, quæ ab homine tanto temporis intervallo confici nulla prorsus ratione potuerint, fuerint nunciata, & propalata. Quale exemplum recitat Florus histor. suæ lib. ii. cap. 12. in fine. & lib. iii. cap. 3. in fine.

IV. Verum enim verò hæc argumenta imbecilliora sunt, quam ut firmiter probent illud quod probare debebant. & itaque ad Primum & Secundum; si sectæ Pythagoricæ aliquis addictus diceret, ex isto homine furioso, item ex ista cava arbore loqui animam quandam separatam, quæ in furiosum istum nunc introiverit, vim utrique argumento statim esse ademptam. Etsi enim Pythagorica illa sententia de transmigratione animarum nondum sit probata, tamen argumentis etiam firmis è solo rationis lumine petitis refutari minimè potest. Tertium rursus tribui potest animæ alicui separatæ. Ad Quartum, si modò historica talia exempla vera sunt;



sunt; responderi potest, potuisse famam illius rei gestæ  
 tanta celeritate artificiosis quibusdam modis in longè  
 diffusa loca deferri, nempe per clamores, per stationes,  
 per angaros, per aves, per cursores. De quibus jucun-  
 dè & utiliter legetur Justi Lipsii doctissima Epistola nu-  
 mero 59. Cent. 3. In qua ostendit stupenda prorsus exem-  
 pla de peditibus, equitibus, item cornicibus, columbis,  
 canibus &c. à quibus velocissimè rumores fuerint dela-  
 ti. Digna quoque notatu sunt, quæ Nicolaus Blanckar-  
 dus ad locum Flori lib. III. cap. III. in fine annotavit. *Ju-  
 stinus 20. 3. de pralio ad Sagram eadem die qua in Italia pu-  
 gnatum est, & Corintho, & Athenis, & Lacedamone nun-  
 tiata est victoria. Sed & arte juvari potest ad eò fama ce-  
 leritas, ut miraculo similis sit, exempli ergò, per continuos  
 cursores, quam rem Cyrus primum instituisse legitur apud  
 Xenoph. lib. 8. clamore ab aliis excepto, sicut Galli. Cæsar  
 de bello Gall. 7. 3. avibus. Plinius 10. 24. quod hodieque  
 non insolens nec inauditum est. aliisque multis modis.  
 In primis autem fidem excedit, quod Cleomedes in libro  
 de contemplatione orbium cælestium memoratur,  
 Xerxem cum in Græcia bellum gereret, à Susis Athenas us-  
 que dispositas habuisse stationes, per quas excepta voce, a-  
 liisque tradita, quadraginta octo horarum spatio in Per-  
 sia sciri potuerit, quid in Græcia Xerxes gereret. Alteri-  
 us cujusdam modi, per faces incensas meminit Apulei-  
 de Mundo. Freinshemius. Hucusque Blanckardus. Ne-  
 gativam hanc tuentur quoque Jesuita Becanus præfat.  
 opusc. 14. Tom. 1. B. Horneius disput. Theolog. V. Sect. II.  
 §. 18. & 19. Dominus D. Hildebrandus Institut. Theol.  
 Disput. IX. §. 3. Cornel. Mart. Comp. Theol. Dissert. III. §. 8.  
 V. Illud verò meritò quemquam in admirationem  
 rapere possit, quomodo Sadducæi, veteris Test. Scriptu-*



ram non repudiantes, dixerint, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Act. xxiii. 8. Judæi certè hinc, veritatem Novi Testamenti conantur suspectam reddere, nec dubitant effutire, falsum quid & ab omni verisimilitudine abhorrens his verbis memorari, cum nimis apertè, & nimis sæpè Angelorum mentio in Vet. Testam. fiat, ut à Sadducæis, sine nimio vel stupore vel malitia, Angelos existere, negari non potuerit. Huic ergò calumniæ ut obviam eatur, respondent nonnulli locum in Actis hoc velle, Sadducæos non quidem quoad verba & voces, quoad rem ipsam tamen negasse Angelorum existentiam. Et intellexisse per Angelos in Vet. Test. indicatos qualitates quasdam à DEO in hominum imaginatione productas; vel, dixisse, Angelos illos ita dictos, esse spectra aut spiritus, ad tempus saltem à DEO creatos, quibus Angelorum nomen tributum, & quorum opera DEUS in sua apud homines voluntate, vel significanda vel efficienda uti voluerit, quosque postea absoluto negotio, ad quod erant compositi, destruxerit ac dissolverit. Alii dicunt, Sadducæos ad loca Vet. Test. in quibus Angelorum fit mentio, respondisse, Angelos illic memoratos, non esse spiritus, nec incorporeos, sed substantias potius corporeas, ratione quidem præditas, sed corporibus quoque subtilissimis instructas: idque fortassis eo argumento, quod non nisi in corporea forma apparuerint, manducaverint, ac biberint.

VI. Nos missa hac responsionum differentiâ, quam decidere nobis non sumimus, cum universa Ecclesia asserimus, existere omninò Angelos, idque propter manifesta sacrarum literarum testimonia nos hac de re confirmantia. Certè, primò de qualitatibus in imaginatione productis nemo mentis compos illa exposuerit, quæ de Angelis in Scriptura dicuntur. Sic cum  
Ange.



Angeli dicuntur missi, vel cum unus eorum in castris Assyriorum 185000, trucidasse legitur, illud ne utiquam de qualitatibus poterit intelligi. Nullus quoque homo tam absurdus fuerit, qui de spectris exponat locum Psal. xxxiv. 8. *Castrametatur Angelus Jehova circa timentes eum, & eripit eos*: item hunc Psal. xci. 11. *Angelis suis precipiet (DEUS) de te, ut conservent te in omnibus viis tuis*. Neque etiam tertium effugium est alicujus ponderis, uti ex seqq. patebit.

VII. Antequam verò definitionem aliquam proponamus, ex usu erit evolvere homonymiam vocis Angeli. Angelus itaque, quod vim vocis attinet, in genere quemvis nuncium denotat, uti videre est. Gen. xxxii. 3. 1. Sam. xxiii. 27. Luc. VII. 24. Jacob. ii. 25. Per Angelos etiam alicubi intelliguntur Ministri Ecclesiae, propterea, quod mandata DEI apud homines expediant. Ita Salvator noster de Johanne Baptista citat è Malach. III. 1. *Ecce, ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam*. Matth. XI 10. Quin imo Ipse Salvator dicitur Angelus, verum cum apposito, videlicet *Angelus foederis*. Mal. III. 2. *Angelus magni consilii*, Esai. IX. 6. quanquam hoc posterius non in fonte Hebraeo, sed in Graeca hodierna versione exstet. Hoc autem loco per Angelos intelligimus *Substantias finitas, intelligentes & completas*, (ad excludendam animam rationalem) *creatas in sapientia, justitia & sanctitate, ut DEUM Creatorem suum laudent, ejus jussa exequantur, & tandem aeterna fruantur beatitudine*.

IX. Simples esse Angelos, h. e. omnis molis corporeæ expertes, ostendo ejusmodi argumento: Quocumque vox Spiritus in Sacra scripturâ de vivente & intellectu prædita substantia dicitur, tum per illam de-

*Homonymia vocis Angeli.*

*Definitio.*

*Immaterialiam.*

*nota.*



notatur natura incorporea, simplex, & ab omni materia libera. Probatum hac inductione. Quando enim de DEO prædicatur vox *Spiritus*, quando item de anima rationali prædicatur, sicut fit Actor. vii. 60. Luc. xxiii. 46. sine dubio significat Ens immateriale & simplex. Quare itaque quando Angeli vocantur *Spiritus*, vox hæc non retineret eandem vim & significationem? In confesso autem est, vocem *Spiritus*, de Angelis dici; sunt enim *Angeli omnes ministerii munere fungentes spiritus, qui ministerii causa emittuntur propter heredes salutis futuros.* Hebr. i. v. ult. Æquè clarè tribuitur Angelis, quod sint intelligentes, quando dicuntur *laudare DEVM* Esai. VI. 3. *adorare Filium DEI.* Heb. i. 6. *jussa DEI exsequi* Psal. CIII. 20. Ergo Angeli sunt substantiæ incorporeæ. Præterea, si anima nostra ejusmodi Spiritus est, multo magis erunt Angeli, cum naturam Angelicam nostrâ longè præstantiorem esse satis abunde constet.

IX. Quod verò non pauci Patres, ut Origenes, Tertullianus, Lactantius, & Augustinus Platonicos incautiùs secuti subtilia & aere tenuiora corpora Angelis tribuerunt, eò ab ipsis factum videtur, quod existimaverint Angelos respectu DEI non esse simplices. Et huc nisi adeò fallor, oculum intendit Johannes Damascenus lib. ii. orthod. fidei cap. iii. *Angelus est, inquit, essentia intelligens, perpetuo motu atque arbitrii libertate prædita, corporis expers, DEO serviens natura immortalitatem divinitus consecuta: cuius formam substantia ac definitionem Creator solus perspectam & exploratam habet. Quod autem corpore ac materia vacare dicitur, hoc nostri ratione intelligendum est. Alioqui enim id omne, quod cum DEO confertur, qui solus præstantior est, quam ut in comparationem cadat, crassum ac materiâ constans reperitur.*



peritur. Ad quæ verba ita commentatur Jodocus Clivovæus Neoportensis, Parisiensis Theologus: ad DEUM collati Angeli crassi, materiales & corporei dicuntur, non quidem quod habeant corpoream materiam, ex qua coalescant, quandoquidem eorum substantia duntaxat spiritualis est: sed quia à DEI simplicitate & unitate usque adeò distant, ut eius comparatione quasi corporei & materiales dicantur & videantur. Cæterum, etsi DEUS sit simplex non unâ ratione quâ Angeli simplices non sunt, (utpote qui ex essentia & existentia, imò etiam realiter compositi sunt ex essentiâ & subsistentiâ quarum compositionum neutra in DEO est) tamen corporeitas ab ipsis, sicut à DEO, utiq; est remota, & ita quidem sunt simplices, ut sint immortales.

X. Angelos porrò à DEO esse conditos, docet nos *Creatio* itidem sacer codex. Psal. XXXIII, 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psal. CIII, 20. *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius: ad audientium vocem sermonum eius.* Psal. CXLVI, 6. *Qui facit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt.* Actor. IV, 24. *Quæ cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad DEUM, & dixerunt, Domine, tu es qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Coloss. I, 16. *In ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potentatus: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Adde, quod solus DEUS sit à nullo alio, & omnium creator.

XI. Quando verò creati sint illi cæli principes Spiritus S. non revelavit, idq; ideò fortassis, sicut Jobius Monachus apud Photium Bibliothecæ Cod. CCXXII. non male conjicit, *ne homines suspicarentur, DEUM in o-*

B

pere



per creationis usum esse ministerio Angelorum in iis rebus,  
qua post ipsos condita sint.

XII. Verosimilima tamen est sententia, una cum  
mundo hoc visibili creatos esse. Æternitatem enim  
indicatura scriptura solet uti illa paraphrasi, quod ante  
hunc mundum aliquid fuerit. Æternitas autem soli  
DEO competit. Apoc. I, 8. vide jam loca Ps. XC, 2. Prov.  
IIX. 23. Joh. XVII. 5. Eph. I. 4. 1. Pet. I. 20. Itaq; Angeli  
non fuere conditi ante mundi creationem, uti pleriq;  
fermè Patres olim docuerunt.

Numerus  
Angelo-  
rum.

Ordo.

XIII. Pergamus ad numerum & distinctionem An-  
gelorum: ubi extra controversiæ aleam positum est,  
maximum eorum esse numerum, juxta expressos textus.  
Daniel VII. 10. *Millies mille ministrabant ei, & myrias  
myriadum stabunt coram eo.* Apoc. V. 11. *Audivi vocem  
Angelorum multorum, & erat eorum numerus millies cen-  
tena millia, & decies centena millia.* De ordine quoq;  
eorum quædam proponit Scriptura Eph. I. 21. Eph. VI.  
12. & Colof. I. 16. Quomodo tamen hæc sese habeant,  
penetrare intellectu nostro non possumus. Jesuita Be-  
canus opusc. XIV. de officiis Angelorum circa homines  
cap. I. p. 546. ita scribit: *Aliquam esse (Hierarchiam An-  
gelorum) lubens concedo: sed quæ illa sit, incertum est.  
Mibi ita videtur, eam fundari in diversitate meritorum;  
non autem in distinctione natura, aut essentia. Majora  
sunt merita suprema Hierarchia, quam media; & majora  
media quàm infima. Illi Ergò Angeli, qui in via cum ac-  
cepta gratia magis cooperati sunt, & majora habuerunt me-  
rita, in supremam Hierarchiam relati sunt; qui minus ef-  
fecerunt, in mediam cooptati; qui minimum, in infimam  
rejecti. Atq; in hac proportione meritorum fundatur eti-  
am proportio gloria seu visionis beatifica divinarum reve-  
latio.*



lationum, officiorum & dignitatum. Nam quò quisq; ma-  
jora habuit merita in via, eo nunc majorem habet gloriam,  
perfectiores revelationes, digniora officia ac ministeria.  
Nos probamus illud D. Augustini: *Esse sedes (thronos)*  
*dominationes, principatus, & potestates firmissime credo,*  
*& differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo*  
*me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quanam*  
*ista sint, & quid inter se differant nescio. Nec ea sane i-*  
*gnorantia periclitari me puto, sicuti inobœdientia, si Domi-*  
*ni præcepta neglexero. Et alio loco: Quomodo se habeat*  
*beatissima illa & suprema societas, qua ibi sint differentia*  
*personarum, dicant qui possunt si tamen volunt probare*  
*quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor. Enchiridio*  
*ad Laurent. cap. 87.*

XIV. Agemus jam de Angelorum intellectu. *Is* *Intelle-*  
*ctus.*  
in actu primo consideratus fortassis ab essentia eorum  
realiter non differt. Actus autem ejus secundi, sine du-  
bio sunt actus elicitus, sicut est in intellectu humano, et ex-  
ercebunt sine dubio cognitionem perfectam sui ipso-  
rum, hominum, rerumq; omnium naturalium, cum pri-  
mis autem DEI Optimi Maximi quantum hujus finito  
& creato intellectu cognosci potest. Quantacunque  
verò sit illa eorum cognitio sagacissima, liberas tamen  
hominum & aliorum Angelorum cogitationes & voli-  
tiones perspicere non possunt, nec futura contingentia  
valent certo nosse. Utrumq; enim horum scriptura so-  
li DEO tribuit; videatur II. Chron. VI. 30. Jer. XVII.  
10. item Esai. XLVI. 10. Daniel. II. 28. Quæ autem in na-  
tura à causis certis & definitis pendent, quales sunt ec-  
clipses solis & lunæ, hæc certissimè; quæ à causis con-  
tingenter aut etiam casu plane operantibus fiunt, pro-  
baliter tantum possunt cognoscere. Sed quid quan-  
tumq;



sumcunq; de mysterio Trinitatis, incarnationis, aliis, per naturam suam cognoscunt, inquires? Hoc dictu est difficilimum. An mysterium Trinitatis lumine naturali sui intellectus cognoscant, dicere non possumus. Incarnationis & alia quæ nos fide discimus mysteria ex revelatione tenere S. Petrus innuit I. Epist. cap. I. 12.

XV. Tradunt nonnulli quod Angeli absq; ratiocinatione objecta cognoscant: verum illa opinio mihi non simpliciter videtur mereri assensum, siquidem Angeli, cum non possint cogitationes hominum introspicere, ex gestibus, dictis, factis, aliisq; externis signis de animo hominis judicant, ex præteritis æstimant futura, ex naturalibus causis cognoscunt effectus: quæ omnia fiunt per discursum. Interim seiplos cognoscunt immediatè, ut nec specie intelligibili, nec discursu ad hoc sit opus, sed à sua ipsorum intima essentiâ ad sui cognitionem determinantur. Ad DEUM etiam cognoscendum, determinantur ab essentiâ divinâ, intellectui semet intimè conjungente.

*Voluntas  
Angelorum.*

XVI. Convertimus jam nos ad Angelorum voluntatem contemplandam, deq; ea statuimus, quod libertate sit prædita. Quod si enim voluntas humana est libera, multò magis ea perfectio perfectiori naturæ rationali competet. Quin idipsum satis superq; ex eo constat, quod aliàs nullus Angelus peccare seu labi potuisset: quandoquidem absq; libertate nullum peccatum ipso actu potest committi. Est quidem voluntati Angelorum concreata magna sanctitas & justitia, qua DEUM super omnia diligere, eiq; promptè & sine difficultate obedire poterant. Neque tamen hæc justitia eos impeccabiles fecit, sed ea non obstante, liberè eorum quidam ab obedientia DEO debita desciverunt.

XVII.



XVII. Tradit quoq; nobis divinus cōdex non pauca de admiranda potentia & virtute Angelorum: ut cum Psaltes Psal. CIII. 20. dicit: *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute.* Manifestum etiam hoc est inde, quod *Angelus Domini unâ nocte 185000. hominum trucidavit in castris Assyriorum.* II. Reg XIX. 35. Quem locum cum Job. Gerh. Vossius vir eximius, lib. 1. de idololatriâ cap. VII. pag. 54. citasset, adjicit, *gladium illū Angeli Josephum ex Beroso pestilentiam interpretari.* Qualis tamen an fuerit, non est usquequaq; firmum. Huc refer, quod *ipsum filium DEI assumpsit Diabolus in sanctam civitatem & statuit eum super pinnaculum Templi* Matth. IV. 5. Item illud quod scriptum est I. Reg XII. 12. *Erit cum à te recessero, tum spiritus Jehova asportabit te ad locum quem non agnoscam.* & Actor. II. 39. *Cum autem ascendisset ex aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, nec amplius vidit eum eunuchus.* Interim negamus, Angelos novas producere posse substantias, vel generando vel creando, cum neq; Magi ope Satanæ unicum pediculum producere potuerint Exod. II. 18.

XIIX. Ad illam virtutem Angelicam non immeritò referimus, quod corpora assumere possunt, ut in iis appareant & aliquid agant. Quæ tamen assumptio corporum neq; fit per informationem eorum, sicuti aliquando nostra anima post resurrectionem corpus assumet; neq; per hypostaticam unionem, quemadmodum λόγος naturam humanam assumpsit: sed per unionem accidentalem, & quidem ita, ut Angeli per corpora assumpta tanquam propria appareant. Illud tantum non levem habet dubitationem, an corpora illa, quæ Angeli assumunt sint verè organica? & num actiones quas in iis exercent. dum edunt, bibunt, ambu-



lant &c. sint verè vitales? Et quidem S. Augustinus lib. XIII. de C. D. cap. XXII. arbitratur, *Angelos, qui visibiliter & tractabiliter apparebant, comedisse verè, non phantasticè, non tamen necessitate, sed potestate, ut hominibus congruerent, sicut Christus post resurrectionem verè comederit.* Dn. D. Hornejus part. 1. disput. V. Sect. II. §. 3. ita proponit suam sententiam: Verisimile est, talia tantum apparere (corpora ab Angelis assumpta) nec vera membra, sed externam solummodo eorum speciem habere, totaque adeò ex aère condensato ab Angelis formari. In his ambulant, (ait) loquuntur, comedunt, ita tamen ut actiones illæ propriæ vitales non sint, nec eisdem cum nostra ambulatione, locutione, & comestione rationis. Nonnulli censent, Angelos cum apparent in forma humana, corporum loco cadavera assumere, quod tamen annon beatis Angelis indignum sit, jure optimo quis regerere possit. De malis spiritibus id forsitan concedi posset quod cadavera assumpserint, siquidem inde ubi apparuerunt discedentes, maximum foetorum relinquere perhibentur. Illustrabit hoc quod jam diximus historiola quam Caspar Peucerus commentario de Divinationum Generibus pag. 10. refert. *Audivimus inquit ille, Bononia fuisse Citharistram virginem, caram multis propter artem, quam vitâ sanctam Magus quidam alligato ad alas fascino ad eum modû, Diabolo colludente, adornarat, ut cætus hominum, congressus publicos & convivias frequentaret, caneret fidibus consueto more, nec à vivis differre videretur, et si palleret plus nimio. Incidit in hanc fortè alius quispiam magus, & animadversâ (Diaboli monitu) imposturâ cadaver inquit, est ista, fascinumque sustulit. Eo amoto, statim illa ad terram collapsa, jacuit exanimis.*

XIX, At.



XIX. Atque ita huc usque consideravimus ea, quæ  
Essentiam Angelorum & alia quæ ex illa resultant con-  
cernunt, atque propterea non minus malis quam bonis  
Angelis competunt; restat ut seorsim de his atque illis  
pauca in medium afferamus. Conditos esse Angelos in  
tali statu, ut præter illa quæ memoravimus, essentialia,  
etiam supernaturalia dona possederint, patet ex eo, quod  
Servator noster dicit Joh. IIX. 44. *Diabolum in verita-  
te non stetisse*, id est, in concreata illa supernaturali san-  
ctitate & justitia. Sanè consentaneum omninò est, quod  
Angeli non fuerint deterioris conditionis atque homi-  
nes, atque adeò non minus atque illi cum supernatura-  
li justitia atque sanctitate creati. Rectè quoque S. Au-  
gustinus Lib. XIX de C. D. cap. XIII. *Neque ipsius Diaboli  
natura, in quantum natura est, malum est, sed perverfit as  
eam malam fecit.*

XX. Porro nõ adeò longam interjectam fuisse moram  
inter creationem Angelorum, & eorundem partim la-  
psum, partim glorificationem secutam, probabiliter in-  
de potest colligi, quod omnes Angeli ut superius est o-  
stensum cum hoc mundo cæperint, & tamen omnes in  
termino fuerint, cum homo laberetur. Sane de hoc ne-  
mini potest esse dubium, quod Satan ante hominis la-  
psum desciverit. Ille enim hominem seduxit, & à man-  
dato DEI avertit, quod sane nisi ipse prius desertor & a-  
postata factus, perpetrasset nunquam.

XXI. Qui à DEO defecerant Angeli, variis modis  
in S. literis describuntur: appellantur *Spiritus improbi  
& mali*. Act. XIX. 13. *Deceptores* I. Tim. IV. 1. *Immundi* Luc.  
XI. 24. & princeps eorum *Satan & Diabolus, antiquus  
serpens & Draco*. Angeli verò ejus, Angeli Satanae A-  
poc. XII. 9. Vocantur *Principes mundi seu tenebram seculi  
hujus*.

Lapsus  
Angelo-  
rum.



*hujus, & spirituales improbitates, quae sunt in sublimi.* Eph. VI. 12. Ingentem quoque horum apostatarum esse multitudinem, non spernendo est indicio quod Luc. II. 30. tota legio intrasse legitur in unum hominem legionem autem tum temporis comprehendisse 6000. hominum, & quod excurrit, tradunt viri antiquitatum peritissimi.

XXII. Non autem satis liquidò constat quodnam primum Angelorum fuerit peccatum. Origenes, ob invictam industriam Adamantius dictus, uti aliàs etiam peculiarium sententiarum homo fuit, asseruit Diabolos lapsos esse per intemperantiam sive libidinem, idque probare conatus est ex Gen. VI. 2. *videntes filii DEI filias hominum esse bona forma, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* At verò illa lubrica & ficulnea est probatio, siquidem ibi sermonem esse de Angelis, ad Calendas Græcas demonstrabitur. Et quomodo quæso in spiritus cadere potest vitium intemperantiæ aut libidinis? quomodo illud cum spirituali ipsorum essentia potest consistere? Fateamur proinde Origenem, & qui ipsi hac in parte adhaesit, Tertullianum, humani quid esse passos. Alii inter quos disertissimi & suavissimi Ecclesiæ Doctores S. Basilius & S. Bernardus, docuerunt per invidiam cum superbia conjunctam lapsos esse Angelos, idque ostendere fategerunt ex Sap. II. 24. *Per invidiam diaboli, mors venit in mundum.* Sed præterquam quod hic locus sit ex libro apocrypho, nihil aliud hic innui videtur, quam quod Satan memor amissæ beatitudinis, felicitatem illam eximiam homini inviderit, adeoque ipsum ad peccandum pellexerit.

XXIII. Plerique denique in eo conspirant, quod probabilissimum sit diaboli primum peccatum fuisse superbiam, utpote qui non modò in seductione Evæ id  
palam



palam fecerit, sed etiam dum à Creatore suo, Christo Jesu adorari voluerit Matth. IV. 9. Quod autem communiter per allegoriam eo trahuntur verba ex Ezech. XXIX. 2. Esai. XIV. 12. nihil illa probant, quandoquidem sensu literali non de Diabolorum lapsu, sed Regum Tyri & Chaldaeorum subversione loquuntur, uti antecedentia & sequentia ponderanti manifestum erit.

XXIV. Quodnam autem objectum fuerit superbiae Angelicae num Divinitas per essentiam? an unio hypostatica, num beatitudo naturalis? an supernaturalis? an Dominium seu praelatio? an verò aliud quid? determinare non possumus, cum de eo taceat sacer codex. Non tamen improbabiler existimatur Dux & Autor hujus defectionis sive rebellionis fuisse è primariis Angelis unus, aut fortè omnium primus, qui etiam nunc inter ceteros principatum obtineat. Huc referunt, quod Draco dicitur *secum traxisse tertiam partem stellarum* Apoc. XII. 4. quod Christus mentionem facit *Principis Diabolorum* Matth. XII. 24. diciturq; *Diabolus cum Angelis suis*, Matth. XXV. 41. *Draco & ejus Angeli* Apoc. XII. 7. 9.

XXV. Si quæras an omnes Angeli, qui semel peccarunt, damnati fuerint? R. Omnino; idque præeunte Scriptura II. Pet. II. 4. *DEUS Angelis, qui peccarunt, non pepercit, sed catenis noctis in tartarum precipitatos tradidit servatos in judicium.* Meritò ergo acquiescimus tam liquido effato. Causas alii alias, hic comminiscuntur. Nos in re prorsus incerta, malumus ἐπέχειν, & involuntate justissimi Numinis placide acquiescere. *Nescire velle quæ Magister maximus docere non vult, erudita inscitia est.*

XXVI. Videamus jam de poenis, quas luere oportet spiritus lapsos: illæ consistunt (I) in amissione per-

C

fectio.

*Pœna Di-*  
*abolo-*  
*rum.*



fectionum supernaturalium ex parte intellectus & voluntatis. (II) in obstinata perseverantia in malo, ita ut neq; dolere de peccato neq; benè operari possint, idq; inde accidit, quod Deus non dignetur ipsos speciali suæ gratiæ auxilio, quod nec tenetur largiri. (III) In pœna damni, sive carentia visionis Dei beatificæ. (IV) In pœna sensus seu cruciatu ignis infernalis. vid. Matth. XXV. 41. Apoc. XX. 10. Quomodo vero spiritus vero igni cruciari possint, an tantum detineantur ibi contra suam voluntatem, tanquam in perpetuo carcere, an physicè affligantur per realem læsionem, an denique moraliter tantum, per solam apprehensionem, uti parum scire refert, ita curiosè indagare nolumus. Nihilominus id clarè docent divina oracula, quod Dæmonum supplicium *æternum* sit futurum. Matth. XXV. 41. Apoc. XX. 10. ut à veritatis linea procul dubio recesserit Origenes, si pœnas damnatorum Angelorum non fore perpetuas existimavit.

XXVII. Quamvis autem Diaboli *catenis noctis* sive tenebrarum vincti II. Pet. II. 4. in inferno, ceu ordinario tormentorum loco crucientur, attamen permittit ipsis justissimum Numen, extra Orcum in aëre vagari, atq; homines oppugnare. Hinc *Principi mundi* dicitur competere *potestas aëris* Eph. II. 2. Dicitur *Diabolus obambulare tanquam leo rugiens, quærens quem devoret* I. Pet. V. 8. Confer Eph. VI. 2. Ita tamen clementissimus Deus enervavit atq; confrixit malorum spirituum potestatem, ut absq; ipsius permissu nihil contra nos queant moliri, imo ne pediculum quidem producere possint. Exod. IIX. 18. Ne quidem tanta ipsis in hominem competit potestas, quanta homini in hominem; alioquin adhuc magis pios premerent, vexarent, & vita ipsa  
priva-

Potestas  
Dialolo-  
rum.



privarent. Neq; conceditur ipsis potestas eruendi the-  
sauros vel mari absorptos, vel sub terra reconditos, eos-  
que quibus velint, conferendi. Qua ratione illos cum-  
primis, quos auri sacra fames stimulat, pellicere atq; in-  
escare fortissimè possent. Imò nocituri humano gene-  
ri, necessum habent foedus quasi inire cum hominibus,  
ut tantò expeditius hominibus per homines (utpote  
quorum libertas ad mala inferenda minus est restricta)  
obesse possint.

XXIIX. Quemadmodum autem poenæ damnato- *De An-*  
rum Angelorum sunt æternæ, ita beatitudo beatorum *gelis be-*  
est perpetua. Clara enim Dei visio excludit omne pec- *nis.*  
catum, impeccabilitas (liceat mihi ita loqui) vero ex-  
cludit amissionem beatitudinis. Præclare hanc in rem  
scribit D. August. Enchirid. ad Laurent. cap. 28. *Ceteri*  
(pii Angeli) *pia obedientia Domino cohaerunt, accipientes*  
*etiam, quod illi non habuerunt, certam scientiam, qua es-*  
*sent de sua sempiterna & nunquam casura stabilitate securi.*

XXIX. Officium horum considerari potest respe-  
ctu vel Dei, vel hominum. Illum assiduè pro collatis  
beneficiis laudant, ipsi inserviunt & mandata ejus prom-  
ptissimè exsequuntur. Esa. VI. 3. Luc. II. 14. Ad hos ve-  
ro mittuntur, illos custodiunt, illorum preces ad Deum  
deferunt, & compluribus aliis beneficiis eos afficiunt de  
quibus passim in sacris legimus. Multa hic tradunt  
Scholastici nonnulli ex Dionysio Areopagita, qui sane  
plura de Angelis proposuit, quam Paulus, quamvis in  
tertium coelum raptus. Vix enim aliter de iis loquitur,  
quàm si oculis eos suis vidisset. Alios videlicet perten-  
dit esse Angelos *assistentes*, alios *ministrantes*; quatuor  
ordines superiores Seraphim, Cherubim, Thronos &  
dominationes esse Angelorum assistentium; quinque

*Officium*  
*bonorum*  
*Angelor.*



inferiores ministrantium, atq; illum ordinem adeo fixum esse, ut nunquam mutetur, h. e. ut Angeli assistentes nunquam administrent, aut ad nos veniant. Certè scriptura ita non pronunciat, ait potius *omnes Angelos esse ministerio fungentes spiritus, qui ministerij causa emittantur propter heredes salutis futuros.* Ebr. I. v. ult. Supeditat quoque scriptura exempla missorum Angelorum quorundam ex superioribus ut vocant Ordinibus Gen. III. 24. Esa. VI. 6. conf. Matth. XXV. 31. Nec est, quod dicas illam distinctionem fundari in loco Daniel. VII. 10. *Fluvius igneus rapidusq; egrediebatur à facie ejus: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, judicium sedit, & libri aperti sunt.* Resp. enim eos assistere dici, qui jussionem DEI expectant, intenti ut se conferant, quo missi fuerint; eos vero ministrare, qui jam actu ad aliquod ministerium missi sunt.

XXX. Angelos hos bonos in custodiam singulis fidelibus esse datos è Scriptura certum, singulos autem singulis custodes concessos, non æque ex eadem est certum, ne quidem ex loco Actor. XII. 15. qui communiter hîc urgetur. Similiter quod è Daniel. X. 13. 20. regnis & imperiis certos Angelos custodes ordinarios & perpetuos esse datos colligunt, *non satis est certum*, sunt verba Dn. D. Præsidis Theol. Theol. Disputat. III. §. 19. Hoc pro certo habendum, non tantùm uni certo Angelo unquamque nostrum esse curæ: sed omnes uno consensu vigilare pro salute nostra. Nam de omnibus Angelis simul dicitur, quod plus gaudeant super uno peccatore ad resipiscentiam converso, quàm super nonaginta novem justis qui in justitia perstiterint. De pluribus etiam Angelis dicitur, quod Lazari animam in sinum Abrahæ detu-



detulerint. Neque frustra ministro suo monstrat Eli-  
saus tot currus igneos, qui peculiariter illi destinati e-  
rant. Imò nec infideles destitutos esse tutela Angelorum  
fortassis aliquis putet. Siquidem Cornelius Centurio (ex  
plurimorum hypothese adhuc infidelis) monitus fuit ab  
Angelo, ut à Petro Apostolo audiret Evangelium, & ba-  
ptisimum suscipere. Verosimile etiam est, tres illos  
Magos, comitatu Angelico ad Christum recens natum  
pervenisse.

XXXI. Nihil nunc fermè restat aliud, quàm ut non *De ado-*  
nihil subjungatur de honore Angelis exhibendo, pro in- *ratione*  
gentibus officiis, quæ nobis tribuunt. Memini, me in *Angelo-*  
libello quodam Pontificio legere hanc precandi for- *rum.*  
mulam:

*Angele qui meus es custos, pietate paternâ  
Me tibi commissum salva, defende, governa,  
Terge meam mentem vitiis & labe fluentem,  
Assiduusq; precor mihi sis, relevesq; cadentem.*

Nisi lōgè accersita explicatione aut potius torsione ver-  
ba excusent, injuria erunt in DEI Opt. Max. bonitatem,  
cujus solius propriè est, *pietate paternâ salvare, & men-*  
*tem vitiis & labe fluentem tergere.* Jesuita Becanus o-  
pusc. de offic. Angelorum cap. XXI. dicit *catholicos do-*  
*cere, hæreticos autem negare, quod liceat Angelos adorare,*  
*seu cultum aliquem iis exhibere,* cum tamen in Theologia  
scholastica admisisset, idololatria peccare Angelos, quan-  
do se aliis adorandos proponunt. Aut ergò ludit Je-  
suita vocis ambiguitate, aut sibi ipse contradicit. Plato-  
nici solitici erant de quarendo per Angelos ad DEUM  
aditu, & ipsis in hunc finem colendis, ut DEUM facilio-  
rem nobis redderent. Valeat obsoleta illa philosophia,  
quæ scripturæ adversatur, dicenti: *Dominum Deum tuum*



*adorabis, & illi soli servies.* Rationes aduersariorum pro Angelis adorandis, in ipso conflictu audiendi forsan dabitur occasio. Perpendant interim coronidis loco Pontificii duo saltem testimonia, quæ habet eximius ille Doctorum, Ecclesiæ grande decus columenq; S. Augustinus in libris de C. D. *libris multi jugâ eruditionis copia-pregnantibus,* iudicio B. Calixti *lib. X. cap. 19.* Apparatus Theolog. *Orantes atq; laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus.* Et paucis interjectis; *putaverunt quidam, deferendum Angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur DEO, & eorum sunt admonitione prohibiti, iusiq; sunt hac ei deferre, cui uni fas esse noverunt.* Nolumus proinde inter ipsos & Deum partiri ac dividere cultum, sed dicimus cum Epiphanio hæresi 79. contra Collyridianos. *Sit in honore Maria, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur. Mariam nemo adoret -- DEO debetur hoc mysterium, neq; Angeli accipiunt talem glorificationem.* Atq; hic nunc pedem figimus; *Sedenti in throno, & agno, benedictio & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Apoc. V. 13.

## COROLLARIA.

### I.

Uti DEUS nos absq; cibo & potu conservare, absq; verbo & Sacramentis salvare, ita etiam absq; Angelis custodire posset.

### II.

Inepti fuerunt Manichæi, qui ideò duo rerum principia introducere ausi sunt, ne cogerentur concedere, quod DEUS res malas produxerit.

### III. Per



III.

Per septem spiritus, quorum alicubi in Apocalypsi fit mentio, Angelos intelligi non est probabile.

IV.

Scripta Dionysii Areopagitæ supposititia esse arbitramur.

V.

Primos parentes in paradyso habuisse Angelos custodes non caret verisimilitudine.

VI.

Angelos tam bonos quam malos movere posse nostram voluntatem certum est, sed non æque certum quomodo id peragant.

VII.

Diabolos habere liberum arbitrium censemus, quamvis bene agere nequeant.

VIII.

Christum habuisse Angelos ministrantes concedimus: an vero habuerit custodes, ambigi potest.

IX.

Angelorum naturam humanæ esse præferendam statuimus cum D. Augustino.

X.

Angelorum colloquiis aut revelationibus hodie adhiberi posse tuto fidem, negamus.

S. D. G.



Inſi



**I**nsidiis hominum vita est obnoxia, norunt  
Mille nocendi artes Satan, Stygiaeq; phalanges:  
*Hæ tentant, vexant angunt mortalia corda.*  
Excubias tamen opposuit moderator olympi;  
Nam genus æthereum, cœliq; exercitus omnis  
*Defendunt, gestant, refovent mortalia corda.*  
*Amborum formas, vires & munia quæris,*  
Atq; palam monstras, KOKENI, pergito porro  
Invigilare libris; TE præmia digna manebunt.

*In gratiam Eximii Domini Re-  
spondentis amici & Convictoris  
sui longe charissimi subjecit*

Joh. Frid. Beckenesen.





99 A 7000

ULB Halle

3

002 840 502




LY 97

Retro ✓









5  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA

DE  
ANGELIS

QVAM

AVSPICE DEO OPTIMO  
MAXIMO

SUB PRÆSIDIO

GERHARDI TITII SS. THEOL.  
DOCT. ET PROFESS. ORDINARIII

*Die XV. Julii*

*In Illustris Julia Fuleo Majori*

*Publicæ Disquisitioni*

*subjiciet*

CONRADUS KOKE HILDESIENSIS

A. & R.



HELMSTADII,  
TYPIS JACOBI MULLERI,

A. O. R. CIO IDC LXV.

